

# **Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus**

Complectens Januarium, Februarium, Martium

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 29. De fiducia in Deum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](#)

¶:¶:¶:¶:¶:¶:¶:¶:¶:

## D I E S XXIX.

## De Fiducia in Deum.

## I.

**N**ON nimium nobis ipsis diffidere, neque satis Deo confidere possumus. **I**s enim verè in se confidentibus nihil negat. Tantum possumus, quantum speramus; omnia possumus, si speramus omnia. Neque mirandum est, si Deus vivæ alicuj*conscientiæ* omnia concedat; nihil enim melius testatur amorem, quo in ipsum ferimur. Fidimus ijs, quos amamus, & à quibus amari nos credimus. Nihil melius testatur *aestimationem*, quam de ipsius bonitate, potentia, sapientia, & providentia concepimus. Ipsius potentia est infinita; hac si nitor, possumne aberrare? ipsius bonditas est infinita, si ei me credo, possumne falli? ipsius providentia est infinita; si ei me committo; potestne mei oblivisci, vel me negligere?

**I**I. Ego, si solus sim, ipsa imbecillitas sum. Et cur mihi non diffidam? at Deus, & ego fortissimi sumus. Ecce ei non confidam? **C**onfidentia Deo me unit, & Deum mihi. **H**inc Propheta afferit, quod

ij,

2210

23

ij, qui sperant in Domino , vntabunt fortitudinem. Id est , propriam imbecillitatem exuent , ut fortitudinem Dei induant : Homo confidentia plenus quodam modo fortitudine ipsius Dei fortis evadit ; an succumbere maximis calamitatibus potest ? ipsius potentia evadit potens ; potestne ullis obstaculis terrori ? ipsius Dei sapientia evadit sapiens , possuntne eum deficerre media , ad hæc obstacula superanda ? ipsius Dei abundantia ditescit ; quæ spes ex omnibus suis necessitatibus emergendi ei non affulget ? idcirco Propheta subdit , quod ij, qui confidentiam suam in Deo ponunt ; assument pennas , sicut aquilæ , current , & non laborabunt ; ambulabunt , & non deficiunt in stadio salutis. Si igitur vires tibi defunt , id sit , quod confidentia careas : diffidentia tua tota tua debilitas est.

Martius.

15a, 40.

III. Quemadmodum potentia & fortitudo Dei nunquam ita se prodit , quam ubi è tenebris lucem , & elegantissima quæque opera è nihilo procreat : sic virtus Confidentiæ nunquam adeò elucescit , quam tunc , cum ita hominem roborat , ut incitamenta fiduciæ suæ defumat ex eo , quod illam subvertere debet , Exemplo Abrahæ , qui contra spem speravit. Homo isthac virtute nixus nunquam minus timet , quam

S 4

cum

284 *Considerationes Christianæ*


*Martius.*

cum omnia timenda esse videntur; nunquam ita sperat, quam ubi omnia desperata censentur; nunquam perfectius se Deo committit, quam ubi totus mundus eum deserit, immo cum ab ipso Deo saltem in speciem deserit videtur; tunc enim verò cum Iobo dicit: *etiam si me occiderit, in ipso sperabo.* Ita; Domine, cum ultimum mihi mortis infliges ictum, in te sperabo, & manui me percutientis innitar. Deus licet extremè iratus esset, tam vivæ confidentiæ obsistere non posset. Nihil adeò nobis formidandum, quam immoderatus timor; & quantumvis gravia sint mala, quæ nobis intentantur, nihil tamen adeò metuere, ut nostram diffidentiam debemus.

*Vivam hanc fiduciam frequenter à Deo pete;*  
*cum enim hæc omnia sperare te jubeat, capacem te reddit omnia impetrandi.*

Scitote, quia nullus speravit in Domino,  
& confusus est. *Ecli 2. v. 11.*

Fides Christianorum fides impossibilium, *Tertull. de Resur.*



DIES